

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato*.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA	IN ANGLIA	IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTR.	IN GERMANIA	IN CANADA
Apud GEBETHNER ET WOLF	Apud BURNS AND OATES	Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sedis Apost. et S. Rituum Congr. Typogr.	Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sedis Apost. et S. Rituum Congr. Typogr.	Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES
VARSAVIAE POLOZORUM Krakowskie Przedmiescie, 15	LONDON W. 28, Orchard Street.	NEW YORK 52, Barclay Street.	CINCINNATI 436, Main Street.	MONTREAL 1699, Rue Notre-Dame

RERUM INDEX

DE LITTERARUM CERTAMINE A COMMENTARIO "VOX URBIS", INDICTO IUDICUM SENTENTIAE:

I.	F. Ramorino.
II.	P. Angelini.
III.	A. Cima
POETARUM MIXTA AERUMNIS GAUDIA	Fr. X. Reuss.
DE "CHRISTIANA DEMOCRATIA",	P. Rossani.
SENATUS ET POPULARIUM ORATORUM AEDES VINDOBONAE	Forfex.
EX GERMANIA — De populari quadam Germanica Societate	P. Alt.
LYMPHA IN VARIOLAS PUERO INGESTA	Laelius.
BÖKLIN PICTOR	G. P.
QUAESTIONES INTER SOCIOS PROPOSITAE — De una eademque apud omnes pronuntiatione latina	A. Sordet.
DE STATURA HOMINIS	M. Lani.
COMMUNIA VITAE — Per aequam glaciem abeundi ratio	H. D. V. Perialice.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
AENIGMATA	I. Castelli.

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM	Viator.
VARIA: De Sinensi "Encyclopaedia", — Nullane in posterum aquarum victoria? — loci	P. d. V.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCIJ

M DCCCCI

LIBRI ET COMMENTARII RECENS DONO ACCEPTI

Volkstalein. — Vorwort zu Dr. R. Helms Uebungsbuch für volkstümliche Vortragskurse und Vortrag « Ueber die Bedeutung des Lateins für unser Volk und unsre Zeit » von Professor HERMANN DIELS — Sonderabdruck — Lipsiae, ex off. Teubneriana, 1901.
HERMANN KRUSEKOPF, Quaestiones Sophocleae (Soph. Trach., v. 94-140) — Labrone, ex off. Iosephi Meucci, 1901.
ARNALDO COCCHI, Degli antichi reliquiarii di S. Maria del Fiore e di S. Giovanni di Firenze — Florentiae, ex off. Pellas, 1901.
De Suetonii operum deperditorum indice, deque Pseudosenecae epistulis ad Ioannem Baptistam Gandinum scripsit F. RAMORINO — Florentiae, ed. Bern. Seeber, 1900.

L'amico della gioventù. Singulis hebdomadis prodit Veronae.

Atene e Roma. Commentarius cura Italiae Societatis ad litterarum studia vulganda editus Florentiae-Romae.

L'Ateneo. De litteris et bonis artibus commentarius. Bis in mense prodit Romae.

Index rerum an. XXXIII, n. 3: Per intendereci (*La - Direzione*) Il contrasto di Ciullo e la Difesa (*F. Ermini*) — In morte di Vittoria regina d'Inghilterra. In morte di Giuseppe Verdi (*G. Manni*) — Humour (*G. Molteni*) — La donna nelle rime di un frate (*F. Rizzi*) — « Il ministro » di G. Anastasi (*E. Flori*) — Letterature straniere (*L. Sturzo*) — Il buon pastore (*M. Salvani*).

Atti dell'Accademia Properziana del Subasio. Assisii.

Bollettino del museo civico di Padova.

Cosmos Catholicus. Commentarius menstruus. Romae.

La Croce. Singulis hebdomadis prodit Neapoli.

Divus Thomas. Commentarius inseruiens Aca- demis et Lyceis scholasticam doctrinam sectantibus. Placentiae.

Emporium. Recensio menstrua litterarum et artium. Bergomi.

Index rerum fasciculi mense Ian. 1901 editi: Artisti contemporanei: Gaetano Previati (*D. Tumialti*) — La pittura all'Esposizione di Parigi: II, Ancora la Francia (*V. Pica*) — Arte retrospettiva: Il tempio di S. Donato in Zara (*G. Smirich*) — La villa Regina Margherita e le sculture del museo Boncompagni-Ludovisi (*G. Carotti*) — Due quadri acquistati dalla R. Galleria di Venezia (*P. Molmenti*) — Cronachetta artistica, Necrologio.

Ephemerides Liturgicae. Singulis mensibus Romae prodeunt cura Congr. Vincentianae.

Giornale Arcadico di scienze, lettere ed arti. Romae.

Index rerum an. IV, n. 38: An. Christi MDCCC, pridie kalendas Ianuarias a Iesu Christo ineuntis saeculi auspicia (*Leo XIII*) — Da Gesù Cristo gli auspici del secolo nuovo (*Mr. G. Bortolotti*) — Importanza dello studio di Dante, e la politica nelle opere di Dante (*Mr. G. Poletto*) — Erudizione letteraria (*Ab. G. Cozza-Luzi*) — Nel gran deserto americano (*Dr. U. Mioni*) — Magia e pregiudizi in P. Ovidio Nasone (*M. B.lli*) — I viaggi al Polo Nord (*V. Prinziulli*) — Giuseppe Verdi (*G. Branzoli*) — Rivista musicale, Cronaca, Notizie varie.

Il Marzocco. De litteris et artibus commentarius. Florentiae.

Minerva. Recensionum recensio, moderatore Friderico Garlanda. Romae.

Singulis dominicis diebus prodit, scripta maximi momenti, quae sive in praecipuis commentariis, sive in libris vulgantur, accuratissime referens.

Index rerum an. X, vol. XXI, n. 11: Il meccanismo della vita moderna: la pubblicità — Attraverso le stelle — Il più grande generale dell'America: Ulisse Simpson Grant — Quattro gambe e due gambe — La popolazione degli Stati Uniti nel ventesimo secolo e in seguito — La signorina Robespierre — Il duca di Broglie — Una signora tedesca in Italia — Importantissima dichiarazione di Herbert Spencer — Diritti e doveri del medico — Uno studio sul genio britannico — Sommari, Spigolature, ecc.

Nuntius Romanus. Romae.

L'Oriente Serafico. Commentarius editus cura fr. Minorum S. Mariae Angelorum ad Assisium.

L'Osservatore Cattolico. Diarium Mediolanense.

La Riconoscenza. Commentarius bis in mense editus Tergeste.

Rivista di filologia e d'istruzione classica, H. Stampini mod. prodit Aug. Taurinorum.

Index rerum an. XXIX, fasc. I: Osservazioni critiche sui « Captivi » di Plauto (*C. Pascal*) — La composizione della Georgica di Vergilio (*R. Sabbadini*) — Ancora del « Rex » nella stela arcaica del Foro (*A. De Marchi*) — Due questioni Lucreziane (*G. Giri*) — Quaestiones Grammaticae Ennianae (*L. Valmaggli*) — Controversia Lucanea (*V. Ussani*) — Sulla quinta orazione di Iseo (*F. Cacciulanza*) — Sul papiro del Louvre n. 7733 (*A. Olivieri*) — Notizie di codici greci nelle biblioteche italiane (*D. Bassi*) — L'oligarchia dei Quattrocento in Atene (412/411) e la piena rivendicazione dell'autorità di Tucidide (*V. Costanzi*) — Bibliografia, Rassegna di pubblicazioni periodiche.

Rivista Internazionale di scienze sociali e discipline ausiliarie. Semel in mense prodit Romae.

Rivista politica e letteraria. Semel in mense prodit Romae.

Index rerum an. V, vol. XIV, fasc. II: Vittoria, Edoardo e l'Italia (*XXX*) — Via Lucis (*C. Vivaria*) — La tratta degli schiavi nell'Africa orientale (*O. Barattieri*) — La Svizzera intellettuale (*E. Bovet*) — Verdi (*P. Levi*) — Ultimo ritorno (*A. Orvieto*) — L'arte e la folla (*S. Sighele*) — L'inverno nella Roma Imperiale (*E. Fischer-Becchi*) — Orizzonti intellettuali del secolo XIX (*G. Viscardi*) — Diario politico internazionale (*M. R.*) — Necrologio, Bollettino bibliografico, Notizie artistiche, Bollettino economico e finanziario, Bollettino illustrato degli « sports ».

Rivista di storia antica e scienze affini. Messanae.

La scuola secondaria italiana. Singulis hebdomadis prodit Mediolani.

Valle di Pompei. Commentarius editus ad solamen puerorum, qui, cum parentes habeant in vincula coniectos, hospitio ad Pompeios accepti sunt.

La vera Roma. Singulis hebdomadis prodit Romae.

La Vita internazionale. Bis in mense prodit Mediolani.

Vittoria Colonna. Commentarius ad Italas mulieres. Bis in mense prodit Neapoli.

Index rerum an. XI, n. 4: xxvii Gennaio MDCCCXI (*Itala Santinelli*) — Per Giuseppe Verdi (*Iolanda*) — Giuseppe Verdi (*Amalia Gulinelli*) — Verdi e le sue opere (*Eco*) — La pagina per le signorine (*Maria Castelnovo Landini*) — Fra le riviste, Notizie.

Studien und Mittheilungen. Reigen.

Obnova. V. Hradci Králové.

Vlast. V. Praze.

L'Association Catholique. Revue mensuelle des questions sociales et ouvrières. Lutetiae Parisiorum.

Index rerum n. idibus Februariis editi: Le Comte de Ségur-Lamoignon — Discours

du Comte de Ségur-Lamoignon sur la politique extérieure de la France (1861) (*Mis de La-Tour-du-Pin Chambly*) — La question sociale d'après un livre récent (*G. de Pascal*) — Cinq ans de vie sociale — Monographie d'un conseil d'usine (*E. Rivière*) — Le mouvement social catholique en France (*H. Savatier*) — Chronique de l'étranger — Autriche (*G. de Pascal*) — Le mouvement syndical et ouvrier (*G. Laurens*) — L'Encyclique sur la Démocratie chrétienne — Discours du Comte de Mun dans la discussion générale de la loi sur les associations (Fragments) — Chronique bibliographique: I. Bibliographie; II. Revues (*V. de Clerq*).

Suppléments de la Revue « Le Pain », Revue des questions sociales féminines — L'Œuvre de Miss Octavia Hill à Londres (*Henriette Brunhes*) — L'assistance maternelle à domicile (*Doct. Pecker*) — Chronique: Fédération lyonnaise de syndicat d'ouvrières (*P. Vigneron*).
 Lectures populaires illustrées d'études sociales.

La Papauté et les Peuples. Revue internationale des sciences sociales, d'histoire et de droit public chrétien. Lutetiae Parisiorum.

La petite Revue Internationale. Singulis hebdom. prodit Lutetiae Parisiorum.

Bulletin Bibliographique internat. Bruxelles.

Revue Bibliographique Belge. Bruxelles.

Revue Neo-Scholastique. Lovanii.

Boletin-Revista de la juventud católica de Valencia.

La Crux. Madriti.

El Eco Franciscano. Santiago.

Revista Católica de las cuestiones sociales. Madriti.

Revista crítica de historia y literatura españolas, portuguesas, é hispano-americanas. Madriti.

Revista Ecclesiástica. Valdolet.

La Semana Católica. Madriti.

Amerikanski Slovenec. Tower.

L'Artisan. Revue mutualiste. Montreal (Canada).

La Semaine religieuse. Québec.

El Católico. Santiago de Cuba.

Der Herald des Glimbens. St. Luis Mo.

Diario de Centro America. Guatemala.

Johns Hopkins. University Circulars. Baltimore.

Katholischer Mestén. Dubuque.

The Messenger of the Sacred Heart. Neoboraci (U. S. A.).

Niagara Index. Niagara University. N. Y.

Revue Ecclésiastique. Valleyfield in Canada.

The Review. Singulis hebdomadis editur Saint-Louis M. (U. S. A.).

The Rosary Magazine. Patrum a S. Dominico praeconium menstruum. Somerset (Ohio U. S. A.).

The Church Progress. St. Luis Mo.

The Tidings. Los Angeles, Cal.

Le Messenger de Tahiti.

Our Alma Mater. St. Ignatius College. River-view, Sydney.

I-wen-lou et Revue scientifique. Zi-hai = Shang-hai.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 ½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques,
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

DE LITTERARUM CERTAMINE A COMMENTARIO "VOX URBIS," INDICTO IUDICUM SENTENTIAE

I.

IN certamen latinae exercitationis a comm. *Vox Urbis* indictum haud ita multi descenderunt; habeant omnes, quotquot sunt, ii etiam qui non sunt praemium consecuturi, debitam laudis partem, quia ab exercendo certatione ingenium non fuerint alieni; dederunt enim amoris sui in latinitatem studiorumque suorum specimen per se probandum. Nunc de singulis sermo erit; primum de iis qui poeticae facultatis specimen dare conati sunt.

Argumentum carminis hexametris versibus ad modum Horatiani sermonis componendi hoc erat: *Litteratorum hominum aerumnae et gaudia*.

Sex omnino fuerunt carmina ad commentarium nostrum missa; sed unum statim ex certantium numero secludendum est, quia a proposito argumento alienum. Id est I, quod inscribitur humanissimo illo et percomi voto: « Vivat *Vox Urbis*, Reginae totius Orbis ». Qua sententia, quamquam genitivis illis casibus coacervatis offendit aurem latinam, tamen nihil benignius et acceptius excogitari potuit. Cumque sententia inscriptionis totum carmen congruit benevolentiae in nos plenum, etsi nec propter rerum inventionem nec propter versus fingendi rationem multa laude dignum; quod non impedit quominus auctori gratias agamus quam plurimas.

Quinque poemata supersunt, quibus argumentum a nobis propositum tractatum est; de his ita breviter iudicium ferendum esse videtur:

II. « Amoto quaeramus seria ludo ». — Carmen est aliquanto brevius quam cetera, hexametris enim tantummodo centum et quinque constat, sed brevitatis haud vitium est utique. Pro *litteralis* hominibus, qui in argumento erant, *poetarum mixta aerumnis gaudia* coepit auctor versibus illustrare. Fingit autem, poetam quandam villicum suum nomine Faustum alloquentem, eique exponentem tum voluptatem maximam legendi versandique optima exemplaria, tum difficultates componendi carminis; quod cum effectum est, et cura limandi subit et multo maior quaerendi lectores labor; et lectoribus repertis, famae quidem dulcis spes invadit animum et cum fama lucri faciendi desiderium. At haec plerumque irrita manent poetamque ab omni ope destitutum relinquunt; felix est ille tantum qui eo consilio scribit ut Deo placeat, a quo palmam non flaccescentem accipiet. Sermo hic est planus, simplex, personis tum loquentis tum audientis accommodatus; felicissimae insunt comparationes poetici laboris cum labore agrorum; nec ulla res minus apta offendit lectorem. Praeterea

emendatissimae latinitati adiungitur numerosa verborum iunctura versusque hexameter caesuris suis aptaque pedum distributione laudandus.

III. « Deus nobis haec otia fecit ». — Hoc est omnium longissimum carmen, tercentis octo et septuaginta versibus compositum. Duo hic amici sermones serentes inter se inducuntur ab auctore; qui titulum carminis sui fecit *de incommodis et voluptatibus poetarum in carminibus condendis*, positus, ut auctor superior, poetis pro litteratis hominibus. Duorum amicorum alter alteri suadet ut in campum prodeat famam versibus sibi comparaturus, alter abnuit ostendens quam multae difficultates scriptorum viam impediunt, quam magna saepe iniuria famam consequantur inepti, poetae veri oblivione obruti et stipe egentes relinquuntur; malle se ait, cum corruptum sit iudicium recentiorum, ad veteres Latinos confugere et pristinae matris Romae quasi sacram vocem revocare et ex antiquis poetarum historicorum operibus oblectamenta et solacium praesentium malorum quaerere. Ita breviter de his quae in poemate continentur. Et est id quidem proposito argumento aptissimum; sed notandum est duorum amicorum sermones saepe longius produci quam par est; saepe deverti nimio amplificationis studio; haud semper perspicuas fieri legentibus partes loquentium; nec perpetuo constare sibi eorum personas, nam qui in fine carminis se describit abditum in veterum studio latineque scribendo occupatum, idem ab initio velut segnis et somno deditus adparet, ab omni Musarum societate alienus. Sunt loci quidam hic passim haud per se invenusti, ut a v. 342 ad 358 aesopica fabula de villicis cum asello sine sarcinis iter facientibus, sed apparet eam rem longius quaesitam esse magis ornandi causa quam quod argumentum ipsum posceret. Latinitas non ita perspicua ut in carmine superiore; versusque occurrunt tenore suo carentes ut 326:

Cautos incautosque; hominem tecum minime, ipse...

Ceterum non desunt virtutes sua laude dignae; multa lectio veterum poetarum, Horatiani leporis non inepta imitatio, satis castigata lingua, stilus non sine verborum ornatibus.

IV. « Thecane deteget? » — Hoc opus multo minoris pretii est. Quid centum versiculis suis voluerit sibi scriptor non bene explicare valeam; utitur enim sermone saepius quam ferri potest obscuro nec satis polito; tantum ut ipse adnotationibus quibusdam italicis instruxerit opusculum suum, ratus fore ut per se non intelligeretur. Ceterum argumenti propositi

tractatio non est hic ad finem perducta suum; nec satis scriptor latinum sermonem tam docte callet, quam necesse est ei qui velit de variis rebus perspicue nec soluta tantum oratione, sed numerosa dicere cum legentium delectatione et fructu.

V. « Laboravi fidenter ». — Hoc carmen epistola est filii cuiusdam ad patrem octoginta versibus conscripta. Memorat patri suo filius consilium, quod multo ante ab eo habuerat, ut a poesi se abstineret, quae neque aurum neque amicos pariat; ait autem haec verba fuisse tunc ventis credita, at postea invenisse se veritatis plena; amicorum suorum phalangen, quorum vitam narrat, se destituisse; addit tamen se inter iucunda studia vitam agentem, etiamsi divitiarum expertem, satis esse sorte sua contentum et caelum digito tacturum si possit aliquando inter amicae ruris silentia et liberorum amorem versibus nunquam perituris quietam operam dare.

Animadvertendum est non pauca in hac epistola ab argumento certamini proposito discedere; veluti locus ille ubi auctor de sorte amicorum suorum loquitur nihil ad aerumnas vel gaudia litterati hominis qui scribit pertinet. Praeterea non semper meminit auctor se ad patrem scribere; sed modo se convertit ad amicos, modo ad Croesos languentes, quorum taedium ait limina sua non perripisse; quod ipso poeseos genere defendi non est cur dicamus. Interdum verba poetae quid significant multum haesi, ut v. 4 et sq. ubi patris consilium refert:

*Versibus infandum non crimen inrita duco
Plus satis, heu, stolidis te sectari et sceleratis,
Sed vel divinos, fili, componere versus...*

ubi etiam notanda est in voce quae est *crimen* falso producta extrema syllaba. Quod ad latinitatem pertinet haud est ea semper emendatissima; quin interdum aures offendit, ut v. 22, ubi ait poeta verba patris sui *multis veris impleta* novisse; et 32 ubi quandam doctorem iuris dicit *aequum torquere* assuetum; potes enim verbo et littera ius torquere ut causidici saepe faciunt, sed aequum et bonum, nisi fallor, torquere nemo potest. Denique versus a suavi numero longe alieni passim occurrunt, ut v. 52: *aeternae demisisses iuxta genitorem*.

VI. « Audacia certe laus erit ». — En poematum ducentorum sex et sexaginta versuum, alacritatis plenum et in quo specimen quoddam suavitatis et leporis inesse dicas. Argumenti tractatio non ea est, quam ab auctoris ingenio exspectaverim. Fingit enim poeta sedenti sibi per aestum sub umbrosa ilice et Flacci opera legenti veterem amicum nomine Cel-

sum venatoris habitu occurrisset, indeque sermonem inter eos cepisse de occupationibus suis; post carpsisse simul iter disputantes usque ad poetae domum, ubi, posthabitis ancillae querellis ob longam moram, hospes benigne accipitur mensaeque accumbit communi; inter edendum autem amicos continuasse disceptationem, donec interveniente tertio quodam sermo in alias res transit. Argumenti nostri tractatio tota hic continetur in Celsi sermone per ambulationem habito et responso ipsius poetae inter cibos dato; alter aerumnas litteratorum hominum, alter gaudia narrat; at ille exaggerat verbis orationem suam omnia mala memorans quibus veteres et recentiores scriptores vexati sunt, hic etiam inter rerum tormenta asserit poetas nonnulla gaudia intimo corde gestare; quod ex parte tantum proposito argumento congruens conveniensque est. Si hoc vitium excipias, multae poseos veneres hoc opusculum ornant; insunt res passim vivis coloribus ut in tabula boni artificis depictae; dialogi personae quasi veri homines apte se gerunt, loquuntur, ambulant, accumbunt sub oculos vestros; copia verborum ex optimis exemplaribus ducta testatur et ingenii felicitatem et multam veterum lectionem. Dolendum sane quod auctor non satis limae adhibuerit versibus suis, et gravia menda hic illic ex stilo suo effluere passus sit, velut v. 37 qui pentameter potius quam hexameter evasit, v. 51 ubi *pendas ad obrussam* scripsit male usus locutione quae est: aliquid ad obrussam exigere. Haec vitia faciunt ut totum carmen infra meritum superiorum quae numeris II et III indicavimus stet, quamvis auctor non inferiorem se praestet ingenio et poetica vi.

Ex dictis iam patet quis sit poetici certaminis exitus. Prae ceteris mentione digna sunt carmina II, III et VI, hoc ipso ordine quem numerorum series exhibet; est enim primum, etsi non multis ingenii luminibus distinctum, omni laude et rerum et verborum et numerorum cumulandum; alterum non caret mendis at copia rerum et emendata latinitate laudandum; sextum denique, ob argumenti tractandi rationem et nonnulla verborum vitia, minus probandum at vivacioris ingenii vestigia perspicuis ostendit indicia.

Itaque omnia perpendenti videtur mihi nemo perfectionis fastigium ita attingisse, ut aureum nummum victori certaminis propositum meritis sit; at certe is qui carmen II^m composuit argenteum nummum suo iure sibi vindicat; IIIⁱ autem VI^{iq}ue auctores digni habendi sunt, quorum nomina cum laude in commentario nostro memorentur.

Restat ut loquamur de certamine solutae orationis, cui hoc argumentum erat propositum: « Aliquid narretur actum inter imperium Constantini Magni et ultimum christianae gentis conatum ad recuperandas regiones, quas Christus vita sua et morte sacraavit ».

Unus tantum in hoc certamen descendit, commentatione exhibita cui praescriptum erat illud Velleii: « Non enim ibi consistunt exempla unde coeperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt ». Argumentum narrationis suae fecit hic scriptor contentionem civitatum italicarum adversus Fridericum Germaniae imperatorem. Sed vel cursim legenti adparet multum laboris adhuc esse huic scriptori durandum ut facultatem perspicuae et castigatae latinitatis consequatur. Unde non videtur praemio dignus.

FELIX RAMORINO.

II.

De poetico certamine iudicium.

I. « Vivat Vox Urbis Reginae totius Orbis ». — Carmen hoc, plane obscurum, dictionem habet saepe ingratis auribus Vergilio et Horatio assuetis, ut « Caesaris aevis » — « En miseramen » — « Innotescuntur voci » — « Ex glacie remeatus » — « Politica res » — atque alia.

Etsi autem rei ad certamen propositae liberior convenire possit structura versus, quo de genere inquit Horatius: « Nisi quod pede certo — differt sermoni sermo merus », at crebrius quam par est occurrunt versus « Enni gravitate minores ». En loco ab uno disce omnes:

*Foemina — mactel — ibi virque studebant (aemula fortis)
Arta doctrinisque, sororem praevalidam sed —
Excipias partes sacratas vel sapientes —
Non possidebant. Sequiturque et propositum nunc!
A multis ubicumque sodaliciis, quia multa
Tantum reliquiae...*

II. « Amoto quaeramus seria ludo ». — Vel huius optio sententiae iudicium optimum prodit. Et carmen quidem satis expectationi respondet, in quo et sobrietas est cum perspicuitate coniuncta, et poetica locutio pura fere ac numerosa. Desiderantur tamen maiores lacerti. Quominus denique poetae huic omnia concedantur, id praecipue obest, quod nimis in arcto versatur et operis varietati prospicit parum.

III. « Deus nobis haec otia fecit ». — Opus hominem arguit Flacci versibus refertum magis quam eiusdem subtili iudicio. Notanda enim occurrunt:

- Indigesta rerum moles, quarum satis multa abs re, ut productae tritaeque querimoniae de Fortuna, optimo cuique infensa.
- Sua de se iudicia nimis obiecta legentibus.
- Implicatus atque obscurus sermonis ambitus.
- Dicendi genus haud sibi constans, modo rude, modo expolitur, ob assutum crebrius « purpureum pannum », hoc est ob arcessitam Venusini vatis imitationem, cuius una cum verbis etiam sententiae necessario expilantur; neque enim dicendi formae possunt a rebus esse seiunctae.

IV. « Thecane detegit? ». — Te sane detegit scribendi ratio, quamvis aspersa caligine. Gaudes enim « bionis sermonibus et sale nigro ». Quae omnia quid commune habeant cum re proposita ipse videris. Peccas etiam male utens verbo *ulendi*, cuius corripis primam syllabam v. 20:

*..... censor peccavit et ipse
Crebrius; et vitium carpsit male utentis ad artem
Nescius...*

Ceterum, quum persimilis videaris eius « cui Deus haec otia fecit », de ipso lata iudicia tibi sumas.

V. « Laboravi fidenter ». — Totum inficit carmen obscuritas, et iniucundum efficiunt « in scenam missi magno cum pondere versus ». Exemplo sint haec:

*Versibus infandum non crimen inrita duco
Plus satis, heu, stolidis te sectari et sceleratis,
Sed, vel divinos, fili, componere versus.*

Item:

*Quamquam haud omnes ignoro vestros cruciatus
Incunda inter studia deduco properantes
Horas —*

Denique

Kausiceoque ignarus Didusque excoluisses.

VI. « Audacia certe laus erit ». — Etsi hunc nec facundia deserat nec poetica quaedam vis nec ars numerorum, nihilominus aliqua videntur rerum ve-

ritati ac naturae minus accedere. Neque enim video cur amico dicenti: « illi etiam (poetae) sua gaudia norunt », adeo vehementer irascatur alter:

*... proh Iupiter, hic furit! Omen
Di avertant! haec obveniant ne gaudia nobis!
— Brachia tum motans et me velut alter Achilles
Torva tuens tumido Celsus delitigat ore,
Ut verear, quem me fieri modo dixerat, ille
Amens ne fiat. —*

Sunt etiam quaedam contorta et intellectu difficilia, uti haec:

*... nec tibi serior ergo,
Quae inveni fuerant cordi, me intervenit aetas
Abstulerint?*

Item:

Sapies quod falleris.

De soluta oratione iudicium.

Historiae partem scriptor exhibet, hoc indice titulo: — « Italicarum communitatum, adversus Fridericum Germaniae Imperatorem, acerrima contentio. — Commentarium — ».

Narratio nuda est, cui pauca praemittuntur de « praesentibus hisce disputationum, contentionum, cupiditatum et intolerantiae temporibus » rite comparatis cum praeteritis, « quibus tanta lux gloriae laudumque immensa origo ».

Vel simplex rei gestae cuiusvis expositio potest ad artis opus assurgere si venuste atque emendate fiat. Huic laudi obstat italicus quidam sapor et verba ab aurea aetate recedentia. Huc, inter cetera referuntur:

a) *Communitas* pro municipio, populo, civitate, republica.

b) *Omissa praepositio* ubi erat repetenda, ut haec: « Nec tantum sententia probatur prae rebus quae ad corpora, aut ^x negotia referuntur, sed ^x omnibus potius... ».

c) *Ubicumque* absolute usurpatum, quum sit adverbium quod refertur ad aliquid.

d) *Feudum* pro oppido lege vectigali.

e) *Accusativus temporis* cum verbo actionis non continuatae, ut: « duos obsidio menses peracta », hoc est « ad finem perducta ».

f) *Copulativae italico more adhibitae*, ubi opus erat *asindelo*. Ita: « Longobardorum vexatus insidiis, et praesertim Veronensium ».

g) *Nec non* pro *et*, solis concessum poetis.

h) *Dum* cum verbo praeteriti temporis in actione praesenti.

i) *Adhuc* cum verbo praeteriti temporis.

k) *Demum* pro denique — et alia.

Itaque, omnibus diligenter perpensis, eorum qui certamen inierunt principem censeo praemioque altero dignum, hoc est argenteo numismate auctorem carminis cui inscripta sententia « Amoto quaeramus seria ludo ».

Qui vero dictum praefert « Audacia certe laus erit » hunc laudis testimonio publice honestandum iudico.

PETRUS ANGELINI.

III.

SCRIPTA septem competitorum, qui in certamine a comm. V. U. nuper indicto facultatem suam experti sunt, diligenter perlegi atque examinavi. Nunc, quid de quoque sentiam, breviter exponam. Ac primum de libello, qui unus nobis delatus est soluta oratione conscriptus, pauca dicenda sunt. Narrationem

hic continet belli a civitatibus Galliae Cisalpinæ contra Fridericum Ahenobarbum gesti. Is, qui hunc concinnavit, oratione utitur satis illa quidem emendata, si grammaticæ tantummodo præcepta respicias; sed in genere dicendi ad indolem Italicæ linguae plerumque se accommodat, in continuatione verborum numerum negligit, vocabula haud raro usurpat, quæ ab integritate Latini sermonis abhorreant; ne multa, optimos rerum scriptores non ita videtur pervolutasse, ut eorum copias in suum usum converteret.

Sequuntur deinceps sex carmina, quorum tamen I (cui quasi index inscriptus est hic versus: « Vivat Vox Urbis Reginae totius Orbis ») ne ponendum quidem esse in trutina iudico, quippe quod in rebus versetur cum proposito argumento nullo vinculo coniunctis.

II (« Amoto quaeramus seria ludo ») est de poetis solis, non, ut par erat, de universo genere litterarum. Atque in hoc ipso argumento ita circumscripto ratio tantum habetur gaudiorum et aerumnarum, quibus illi in carminibus condendis afficiuntur. Neque res desunt sine causa iteratae. Nam quæ poeta de Pegaso et ea, quæ deinceps de Musa sua affirmat, etsi acute observata et eleganter dicta esse concedo, tamen eodem demum, nisi fallor, redeunt. Versus fere omnes habet hoc carmen facili, ut ita dicam, et expedito calamo conscriptos, qui sonum non modo legitimum, sed etiam suavem reddant; quamquam interdum ipsa facilitas causa est ut quasi dissoluti languescant.

III (« Deus nobis haec otia fecit ») auctori observata esse videtur Horatii satira I lib. II. Sermonem hic scriptor exponit cum amico quodam habitum de cultu Musarum; ex quo patet, hunc quoque a proposito argumento declinasse. Qua in disputatione cum multus sit, vix tamen perspicitur quid ei tandem amicus suadeat. Nam initio ad veram gloriam quaerendam eum incitare videtur, deinde eum pravae ambitionis nescio quo pacto admonet, postremo ut canat res utiles laudeque dignas hortatur. Ceterum tota huius carminis forma Horatianum quiddam redolet, etsi saepius in locos incidimus longis ambagibus involutos, ipsaque verborum abundantia sub-obscurus.

IV (« Thecane deteget? ») centum ipsis versibus constat, quos durissimos eosdemque obscurissimos esse nemo negabit. Illud satis apparet, eius auctorem aliquot genera poetarum describere voluisse; quod quomodo huc pertineat, equidem non intellego.

V (« Laboravi fidenter ») pollicetur poeta, fore ut, omni quaestus studio omisso, poesim semper colat; quod dum proficitur, propositi argumenti paene oblitus est. Verba enim, quibus eum pater a Musis avocare studet, non eiusmodi sunt, ut aerumnarum hominum litteratorum iustam imaginem praebeant; neque rursus gaudia poeta ipse fusius persecutus est. Versus autem, etsi suis pedibus constant neque numero suo omnino carent, sunt tamen modico sane stilo exarati.

VI (« Audacia certe laus erit ») auctor magis quam ceteri competitores in re tractanda insistere videtur. Exempla quidem, quotquot affert multorum poetarum, quos adversa fortuna exagitavit, non aequè omnia idonea videntur; gaudia vero, praeter ea, quæ communi hominum litteratorum levitate continentur, nulla commemorat. Sed in versibus quoque componendis hic magis quam ceteri indolem Horatiani sermonis expressit. Hoc improbaverim, quod hic illic sine iusta causa modis dicendi usus est heroici carminis propriis; quod ipsum vitium docet, hunc in

poetarum latinorum lectione non mediocriter esse versatum.

Ex iis, quæ adhuc animadverti, patet, ut arbitror, neminem argumentum sermonis ita complexum esse, ut id, quatenus fieri posset, consideraret ac pertractaret; quod in huiusmodi certaminibus vitium vel maximum est. Duo ad id propius accesserunt aliqua ex parte, scriptores nempe carminum II et VI, quæ carmina praeterea et apta versuum conformatione et genere dicendi poetico ornatu praedito elucet. Itaque si duo illi certaminis arbitri, quibus cum summo honore meo tertius adnumeratus sum, censent aliquos praemio ornandos, ego hos esse statuerim, qui, ut mihi quidem videtur, ceteris facile praestent.

ANTONIUS CIMA.

His habitis a doctissimis viris luculentis iudiciis, nil reliquum fuit nobis commentarii *Vox Urbis* moderato-

ribus, quam ut schedulas aperiremus nomina scriptorum carm. II et VI oculentes, ac primo argenteum numisma tribueremus, alterum vero lectoribus indicarem eximia laude ornandum. — Perfecimus sane, et auctorem carminis, cui inscriptio: « Amoto quaeramus seria ludo », praemio donandum

Franciscum Xaverium Reuss

invenimus; auctorem autem alterius carminis

Alafridum Bartoli.

Quibus cl. viris, eo magis quod commentarii nostri socii sint, gratulamur ex animo, dum ceteros qui in certamen descenderunt — nobis ignotos, cum thecas eorum nomina obtegentes igni comburendas commiserimus — hortamur, ne, quod res minus prospere accidit, a cultu litterarum latinarum abhorreant, sed potius vi atque alacritate, quorum specimen praebuere, rem persequantur.

Vox Urbis.

POETARUM MIXTA AERUMNIS GAUDIA

(Carmen FR. XAV. REUSS in litterarum certamine a comm. *Vox Urbis* indicto argenteo numismate honestatum).

*Tu me, Fauste, virum prae cunctis rere beatum
Quod facili videar calamo componere versus,
Vertere dum tua rura gravi cogaris aratro.*

*Crede mihi, sua sunt humanae cuilibet arti
Taedia; sunt etiam sua gaudia:serta rosarum
Nulla nitent, nisi vulnificis horrentia spinis;
Nec legitur messis, nisi duro parta labore.*

*Audi, quae mihi sint scribenti saepe ferendae
Horae difficiles, et quae iucunda vicissim
Tempora succedant. Cupiens ego fundere carmen,
Carmina Vergilii, vel Horatii, sive Catulli,
Aut quos concinuit Christo Prudentius hymnos,
Praelibito, mea mens sacros ut et hauriat aestus,
Et stylus addiscat concinnas neclere voces.*

*Tum celeres fugiunt horae, seu sorte sub umbra
Annosae sedeo quercus, seu cella legentem
Me mea cara tenet, vigilem per et otia noctis.
Quos ego dum libros pervolvo, tanta voluptas
Sponte subit, quantam tibi nunquam, Fauste, pararunt
Florida, quae gaudes festis peragere diebus,
Arva, vel auratis iamiam flaventia culmis.*

*Invilis tandem dilecta volumina pono,
Et calammum trepidus, iactatus speque metuque,
Arripio, iugasque meas describere conor.
Conor, at ardua res Parnassum scandere celsum.*

*Ut salebrosa via est! ut praeceptis! utque frequenti,
Ni tibi perpetuo caveas, obnoxia cladi!
Nunc male pes audax offendit in aspera saxa;
Nunc panillum progressus, eo delabitur, unde
Coeperat ascensum. Nova quod si semita lapsa
Panditur, haud ita post per inextricabilia serpit
Spinetum; vel inaccessible scopulis, vel hiante
Obstruitur barathro: quae vix obstacula vales
Emeritis superare queat, vix Pegasus ales.*

*Pegasus interea servire suo studet uni
Arbitrio, quod ab imperiis plerumque poetæ
Discrepat omnino, Dextrorsum pergere iussus,
Ire sinistrorsum contendit; strata viarum
Sectari monitus, petulans per devia fertur;
Repit humi, quoties urgetur adire volatu
Aërias sedes; vecors, torpentia carpit
Otia, clara dies cum poscit fortia gesta;
Nocte tamen, cum lassas solet natura quieti
Indulgere, serox (ita mos prae-posterus illi)
Evigilat cursor, fessumque labore diurno
Te rapit heu! secum sessorem, fraena prementem
Frustra, nec dulci fructurum munere somni.*

*Nec magis est docili, quam Pegasus, indole Musa.
Haec, muliebri genus non ementita, subinde
Arridere suis non dedignatur alumnis.*

*At tu Pieridum ne fronti fide serena.
Nubibus ut subtilis, per Aprilem, clarior aether
Nigrescit, sic ora cito mutare Camoenæ
Blanda solent, et in iratos convertere vultus.
Tunc operam perdes oleumque, sub omine tristi
Si quid conscribas, si quid meditè: ligone
Utilius tum rura coles, aut ligna securi
Caedes, aut cornuta reges armenta, bubulcus.*

*Musa tamen quandoque bonas tibi commodat horas;
Queis, cultor patiens, si recte noveris uti,
Sensim conficies, quod avebas scribere, carmen.*

*At nova cura subit: poliendi sunt tibi versus.
Ursa velut catulos, modo natos, lambere lingua
Fertur, ut informes ad formam pervehat aptam:
Sic opus ipse tuum, si vis praestare, supremam
Perficies limam: Tolles quae verba redundant;
Ambiguas voces certis mutabis, egenas
Dilibus, horridulas complis. Vir denique naris
Perleget emunctae quae scripseris, atque migrante
Expunget plumbo quae duxerit emendanda.
Quae quantum doleant acres, mi Fauste, liturae,
Conicies, si, vere novo, tua stilibus uda
Lustraris vineta, recens quae falcula carpsit.*

*Ultima iam tandem manus est imposta libello;
Huncque, notis scriptum nitidis minioque decorum,
Sponte poeta legit relegitque, beator usque
Nec legisse sibi contentus, dulce volumen
Cuique (velit, nolit) recitans obrudit amico.
Editus inde typis, liber idem rursus amicos,
Dono missus, adit, « suavissimus ille futurus »,
Id responsa ferunt, « hospes, sociusque perennis ».
At socius caecum, dum currit epistola mendax,
Mittitur in pluteum, blattisque situque vorandus.*

*Haec ignorat ovans auctor, faciliq; triumpho
Scrinia vasta suis implet decoratque trophaeis:
Haud secus ac tu, Fauste, novus et in horrea messes
Condis, et in cellis nova, laetus, munera Bacchi.
« J, liber! » exclamat tum vates, « vise rotundum,
Quem fovet occiduus, quem sol oriens fovet, Orbem;
Omnibus advenies optatus amicus; ubique
Taedia dispelles, curasque canore fugabis.
Auctori famam referes nummosque: poësi
Namque poeta salutar, caret assa frequenter et ossa ».*

Heu! valum mala sors! sua rusticus horrea mense

Evacuat primo, messemque resolvit in aurum;
At vati sua perpetuo differta supersunt
Scrinia, dum macie miser ipse crumenaque languent.
Quas demum chartas, tanti monumenta laboris,
Lance super vili positas, mercabitur olim
(Horresco referens) salsamentarius unctus.

Felix qui studuit, dum versus edidit, uni
Perplacuisse Deo, mens unde poetica vati!
Hunc, post fata, manet flaccescere nescia palma,
Immensusque poli thesaurus, quem neque furis
Tanget adunca manus, neque dens aeruginis atrae.

DE "CHRISTIANA DEMOCRATIA"

DE *Christiana democratia* Pontificiae Litterae, quarum summam mox in commentario nostro retulimus, quid sentiendum sit luculentissime nos docuere; neque ulla iam dubia aut quaestiones ultro agitare fas est. Memoria vero, quoniam res postulat, dignum, quo labore quae constantia catholicorum agmina ad urgentes miserorum necessitates suble-

ruere. Anno MDCCCXCI, Hitze sacerdote postulante, plura a Germanicis popularibus legatis lege cauta sunt de dominicali otio servando, de mercedibus, de domesticis opificiorum legibus, de puerorum mulierumve labore. Tunc immo temporis catholicae caritatis triumphos lege sancitos Pontificiae illae celeberrimae litterae *De conditione opificum* supremae auctoritatis signo confirmarunt. Quarum quidem litterarum documentis per orbem universum cito diffusis, virorum manipuli doctorum pariter ac piorum convenerunt ubique, qui ad tantum opus alacriter calamo et sermone et pecunia adlaborarent. Kettelerium illum Germanicum auctorem discipuli innumeri sequuti sunt: in Anglia Manning, vir purpuratus, in eadem, quam Maguntinus Antistes caram habuerat, metam contendebat; in Foederatis Americae Septentrionalis civitatibus Gibbons, purpuratus pater et ille, Ireland atque Keane Episcopi; in Helvetia Decurtins, vir clarissimus; in Austria De Vogeslang, Liechtenstein princeps, Lueger doctor; in Italia Toniolo doctor, e commentarii nostri praeclaris scriptoribus, Medolago comes, Talamo Antistes Urbanus; in Bel-

in universalem statim coetum coniungerentur, ac Romanae Sedis ductu, lucernae, quae seorsim lumen effunderent, in unum conlatae undequaque splenderent. Qui liberales e veteri philosophia dicebantur huiusmodi conatus per diu contemptui habuere; attamen auctam in dies magis factionis multitudinem cum dinumerare conati sunt, iam non potuere. Iuvat immo animadvertere quod innotescit signum his adamussim diebus, dum Pontificium documentum evulgatur, innovatas nimirum eorum iras per Galliam, per Iberiam, per Italiam. Christicolae vero Patris sui verbis novissime erecti ad Christi regnum in terris dilatandum ac firmandum alacrius incumbunt, quo citius, caritatis auctore et magistro, de innumeris mortalis vitae infortuniis non quidem abolendis, quod nulli mortalium dabitur unquam, sed leniendis satis mendisque, non vana spes affulgeat.

P. ROSSANI.

SENATUS ET POPULARIUM ORATORUM AEDES VINDOBONAE

QUI Vindobonam urbem abhinc triginta annos inviserunt, vix hodie recognoscunt: qui enim muri, quae foveae circumdabant, deleti impletaeque sunt, ut novis iisque splendidis ambulationibus atque aedificiis locum praebere Inter haec popularium oratorum et senatus aedes eminent, quas lectorum nostrorum oculis expressas haec subiicimus. Columnae, simulacra marmorea pariter et aenea, toreumata, regis prope molibus decus speciemque augent. Ibi nunc renovatus nuper publicus coetus sedet, ibi acres illae de re publica contentiones, et pervicaciae, et... caestici ludi redintegantur, quorum notitias quotidie diaria referunt.

FORFEX.



Senatus et popularium oratorum aedes Vindobonae.

vandas instructa fuerint, atque ad praesentes usque dies aucta. Haec primum optime effecit doctrina evangelica, qua maximum ad rem praeceptum continetur, malorumque civitatis una medela, caritas.

Kettelerium, Maguntinum Episcopum, auctorem recentis huius factionis ac magistrum ante omnes salutandum, cuius calamo libelli ad septuaginta usque, de popularibus Ecclesiae monitis exarati, plurimum ad totius rei effectum contulere. Oratio autem quam coram populi oratoribus habuit « De Ecclesiae libertate ac de publicis civitatis incommodis » fatidicum veluti carmen novissimorum conaminum insonuit, quod Maguntino in templo sermones deinde multi longa serie ab ipso dicti de iure dominii, deque vi, qua ad illud moderandum guadet Ecclesia, secuti sunt. Sed verbis non contentus, vir ad rem manus admovit, incoeptusque omnes, qui in opificum utilitatem viderentur cessuri, ut ponerentur atque conderentur unus curavit. Domus ad senescentibus refugium praestandum, argentarias mensas ad pecuniam egenibus mutuandam aliaque sexcenta huiusmodi instituta primus constituit. Quare non immerito Pontifex ipse Leo, de humiliorum sorte tam paterne sollicitus, Maguntinum Episcopum precursorem suum cognominasse audivimus, atque ea ferme laude nunquam credimus fore ut maior illi reddatur.

Tot vero studiorum tantaeque assiduitatis et constantiae fructus, lento licet progressu, tandem appa-

gica, in Gallia, in Batavia Pottier, Verhaegen, Kurth, Schaepman, De la Tour de Pin marchio, De Muncomes, Harmel, duces praecipui totius operis excellerunt.

Attamen quae ex humana infirmitate nobilissimis etiam incoeptis imminent discrimina, huiusmodi etiam operibus non pepercerunt; eaque immo domestica, ideoque pessima omnium evasere. Contententibus enim hinc senioribus catholicae partis viris, inde iunioribus, quam late humiliorum commoda et iura vindicanda essent, quove nomine, *christiano socialismo* an *christiana democratia*, studia illa compellenda, augebatur quotidie inter nostros praecipue discordia, gravi saepe cum operum detrimento.

Quibus autem disceptationibus acrioribus in dies factis non semel Pontificis documenta succurrerunt, ut concordiam instaurarent, ut, quotquot ad bonum operandum contenderent, iunctis manibus progredirentur. Cuius sollicitudinis prodidit ad rem novum idque nuperrimum documentum Epistola Encyclica « de Christiana democratia » iterum monens non quidem de nominibus vanam esse disceptationem habendam, sed ad operam potius iuxta Evangelica effata simul adlaborandum. Hisque universis documentis, quae Summus Christifidelium Pastor elicit, factum est tandem ut qui parvi doctorum manipuli, silentio abditi variisque regionibus dissiti, tenuem vix operam suam in circumstantes edere valebant,

EX GERMANIA

De populari quadam Germanica Societate.

USUS diuturno silentio magis recurrentium causa infirmitatum, quam aut socordia, aut consilio - scitis enim esse interdum sapientius tacere quam eloqui - mitto epistolium, quo et certiores de iis vos faciam, propter quae in speculis eram, et frequentiore epistolis me pollicear futurum.

Vestras forte pervenit ad aures vigere in Germania Societatem Popularem, quam lingua nostra *Volksverein für das katholische Deutschland* nuncupamus, anno 1890 constitutam, quae, velut Echo, et Imperatoris edictis illius temporis, Februarii mense, et Litteris Pontificis Leonis XIII ad Episcopum Coloniae Agrippinae respondit, quibus Germani, ad operariorum tuenda negotia, utilitatesque, efficacius excitabantur. Res adeo placuit, ut brevi Societas ultra centum capitum millia recensuerit adscripta, idque praesertim, quia Societas hinc « Socialistarum » phalangi ob stare et reiicere, inde restitutionem Societatis adstruere Evangelii super fundamento nitebatur, ita ut nova oriretur Societas, novum ut ita dicam « Socialismi » genus, quod non aliena raperet, sed propria, Christianas circa leges, communia faceret, caritate et prudentia distribuentibus. Quotidianarum ephemeridum ad finem evulgatio, publica habenda inter socios et e sociis concilia, libelli, qui rem dilucidarent, gratis vel fere gratis in populos effusi, peculiaris Societati ephemeris certa periodo iugiter prodians; haec omnia iudicata non modo opportuna, sed, nulla mora interposita, alacri confecta sunt opera.

Constitutionum prudentiam atque consilium exitus comprobavit; nam intra decennium centum ac sex et octoginta sociorum millia in albo notata sunt, iique diligentia summa, arte argumentosa, et sollerti animo ita se gerunt, ut sex coetuum millia publice habita sint, quibus

patuit quantum paci, bono, utilitati, commodo familiarum, oppidorum, imperii Societas conferat. Qua de re, aut incensi, aut certiores facti, quamplurimi e socialistarum turmis se sustulerunt, quamplurimi, nomina illis daturi, nomina non dederunt, omnes recte, non nisi in pace catholica, imperii pacem et incrementum, et cetera bona quaerenda et reperienda perspexerunt.

Quapropter haud mirandum censem libros editos et distributos intra decennium, vix enim Maius mensis MCM dilapsus erat, bis centum ac septuaginta centena millia numero aequasse, receptos benevolis ubique oculis socios ad incrementum nostrae rei peragrantes, benignis ubique auribus auditos de constituenda re loquuturos, fuisse; eo denique rem integram pervenisse ut nemini dubium sit in hac Societate non modo imperii, sed universi generis humani salutem, quietem et incolumitatem collocari.

Haec enim Societas omnia curat ne populus torpeat circa leges, quae vel ferendae, vel rogandae fuerint, idque ne quid laedat libertatem, neque licentia in locum libertatis subdatur. Qua in sollicitudine provehenda ad eumque finem qui capita sunt Societatis tam ex clero quam ex populo ephemeridem singularem gratis accipiunt, ut nec rem ignorent, et remedia praestantiora in senatu summo Societatis decreta cognoscant. Est quoque domus ad nomina colligenda princeps et potissima in oppido München-Gladbach, cui magnum praeterea illud officium, quo singula moneat quae alibi praelo eduntur de Sociali, quam nuncupant, quaestione, idque ut quae erronea refellantur, quae periculosa indicentur, quae facienda patrentur. Huic domui bibliotheca haeret, cuius libri sociis legendi traduntur, mittuntur, commodantur. Tributum annuum a sociis singulis illo argento nostro penditur, quod *mark* nominamus. Cuius quidem pecuniae severa distributio et fides, ut aliae Societates huiusmodi constituentur, gentes erudiantur, uberrimae spei iuvenes ad studia proclives adiuventur, praecipue si sacerdotio fungantur, et quinque et viginti munera, quae « secretariatus populares » appellamus, stipendiarios habeant viros, qui in officium incumbant seduli ac diligentes. Hinc, beneficiis collatis, populi una cum sociis consentientes, quoties oratores publici eligantur, curant ne socialistis in concione publica sit locus ad subvertendum imperium, prouti Societati cura est ne inter operarios et publicorum vel privatorum operum redemptores oriatur dissensio, iustitia laedatur et aequitas, et omnia sint in pace tranquilla.

Quae hactenus adepti sumus, cetera, quae adepturi erimus, pollicentur, eaque firma rataque futura fore promittunt, quia nulla adigente vi, sed ipso sciente, consentiente, et cooperante populo omnia perficiuntur.

Valete.

P. ALT.

LYMPHA IN VARIOLAS PUERO INGESTA

VIR contractis labiis atque supercilio, qui totus est ut chirurgico scalpro traditum sibi puerum, quamvis renuentem, in humero pungat, medicus est ille salutaris lymphae repertor et auctor, quae per foramen sanguini commixta nostro, a vareolis, terribis pustulis, immunia corpora reddit.

At nomen patriamque viri de publica valetudine tam optime meriti ignorant fortasse lectores. Neque plane mirandum: iam enim Maximus De Azeglio, e recentioribus Italiae scriptoribus praeclarus, in memoriis, quas ipse de se scripsit, animadverterat, Napoleonis nomen, cuius ambitiosa regnandi cupido tot hominum millia necavit, passim, ubique immo, vel inter barbaros, celebratissimum evasisse; Eduardi vero Jenner, cuius studio et opera innumerae victimae sunt morti ereptae, nusquam memoriam repeti.

Eduardus itaque Jenner tantus fuit vir; Berkeley in oppido Anglici Gloucesteriensis comitatus, natus

anno MDCCCL. Simulacrum autem marmoreum, quod hodie lectoribus exhibemus, Iulius Monteverde Italus in eius honorem insculpsit; et re quidem vera formae veritas comptissimaque artis peritia insigne non modo, sed et admirandum reddidere, dignumque profecto viro, cuius benefacta nullus unquam hominum gratus animus satis rependet.

LAELIUS.

divisus, per alpium praerupta inter Musas picturae et poeseos diem solebat absumere, ita ut fessus a pictura in poesi requiesceret, et poesi fessum pictura rursus recreatura susciperet.

Atque inter montosa haec sexdecim annis natus primam tabulam edidit, qua abyssum, et ruentes aquas et abiegnam silvam mirabili felicitate depinxit. Indulgenti usus patre, quamquam indignante picturam, Genevae, apud Calame, magisterio artis et fama insignem,



Lympha in variolas puero ingesta.

BÖCKLIN PICTOR

ARNOLDUS Böcklin, qui uno abhinc mense Faesulis obiit, Basileae in Helveticis decimosexto mensis Octobris die natus est anno 1827. Quum studiis daret operam domi, paterna fortassis prosequitur negotia, Homerum et Aeschylum in deliciis habuit, quibus quasi ducibus, face praeerantibus, novum per elisios artis pictoriae campos patere sibi iter vidit, quod cito pede maturavit arripere, et concito cursu calcare. Quinimo satagenti mora non fuit, et Homero Goethem, Shakespeareum, Areostum addidit, quos ad senectam usque comites habuit et socios, nec ab iis unquam

primum moratus est, inde in urbem Düsseldorf demigravit, ut Schirmer auctorem haberet, inde Antuerpnam, denique Bruxellas. At Parisios cum eligeret, ibique degeret, sanguinolentos incidit in illos Iunii mensis dies, quibus saevientibus et ipse et pater domesticam rem penitus, fortunasque omnes amiserunt motu ac vicissitudinibus turbulentissimorum illorum temporum, eoque deductus est, ut quotidianum panem in chartis anatomicae rei describendis compararet. Anno 1849, autumnali tempestate Italiam petiit, et Martio mense succedentis anni Romae moratus est, ubi anno 1853 Angelam Pascucci duxit uxorem, eximiam forma puellam, in Transtiberina regione or-

tam, at paupere lare. Qua cum in pace viveret, sed inter augustias familiaris rei, divendita tabula, cui nomen fecerat *In arundinelo Pan*, quam matrona quaedam Germanica emit, una cum uxore et liberis Basileam reversus est, meliora sibi sperans in patria.

Verum res longe aliter cecidit ac sperabat; nam sive aemulorum invidia, qui singularem viri indolem animadvertabant, sive fato illo, quo praeclara plerumque urgentur ingenia, tabulae Böklinianae veluti in proscriptionem inciderant. Quinimo cum Vedekind Consul in palatium Hannoveriensem misisset hunc, ut parietes quosdam depingeret, eius more et arte stomachari cepit quasi fatuum aliquod coloribus fingeret, nec dignum oculis optimorum. Quo factum, ut in principem Bavariae urbem abiret, ibique demum in Expositione apud Societatem, quam *Artisticam* appellant, tabula prolata, qua *Pan in arundinelo* iterum effingebatur, magnum aliquid in auctore operis esse sciti homines minime servientes invidiae iudicaverunt. At haec dum aguntur, ille mortifera febre, una cum duobus filiis, angebatur et urebatur pronus in mortem.

Haec vero inopiae et dolorum finis; quippe ditissimus vir, Schack Comes, tabularum eius munificus et largus emptor ac quaesitor fuit, et Carolus Alexander Dux Weimar, magistrum Academiae optimarum artium, in illa suae ditionis urbe praecipua, et iussit et renunciavit.

Ibi tamen Böklin ultra biennium commoratus non est, nam magisterii munus pretiosum operibus tempus rapiebat, nec passim erant ea, quae Genius tantum in Italia sentit undique et undequaque passim affluere. Romam itaque rediit, et quadriennio habitavit, huiusque temporis diarium de operibus ab eo patris discipulus quidam Berolinensis, Rodolphus Schick, tradidit reliquitque posteris, quasi monumentum grati animi sui erga magistrum optimum ac benevolum; liberque hic editus nuper est curante Hugone von Tschudi, in Museo Nationali Berolinensi rector. In hisce paginis legimus non modo Böklin pictorem egregium in faciendis, sed et callidissimum in praeparandis, miscendis, eligendisque sapienter coloribus, ne, chimica inter se contradictione, vel aversione, lapsu temporis mutarentur, quod in plerisque tabulis accidere videmus, in quibus sensim imagines tenebescunt. Multa quoque non indiligens discipulus de sapientibus praeceptis eius retulit, quae familiari usus eloquio sine ambitione et solemnitate, sed Veritate et Minerva sociis quotidie edebat domesticos inter parietes, illud praesertim quo cavet monetque ne pictor servilis imitator naturae et quasi iterator sit, sed minima notans, optima quaeque eligit et pulcherrima, faciens de pluribus unum quaque ex parte perfectum.

Iamque Romae, quasi duplices vires hic sol, idque solum suppeditarent, maxima pars tabularum confecta est, et nisi maxima numero, certe celebriora ceteris opera quae sparsim fecerat, atque maiora, quaeque Museum Dynastae von Schak ferme penitus absolvunt. Nonnulla nomina dabo: *Iter Domini in oppidum Emmaus; Anacoreta; Rus ad mare; Caupona Romana; Bacchanalia; Querimonia Pastoris*. Quae omnia laudum eius non modo cumulum sunt et corona, sed quasi omnium operum, quae fecerit, vires, virtutesque longe praevertunt. Ac tamen apud plerosque singularis ille pingendi ritus et robur quasi fatui opus principio visum est! Dicamne malignitatem invidiae, aut ambulatorium hominum iudicium, etsi virorum?

Mox ab anno 1866 Basileam occupavit; annos a 1871 ad 1874 Monachii degit, quo in tempore suas

et pinxit imagines duas, et plures marinis refertas numinibus tabulas confecit, quae *Idyllia marina* appellantur; nempe simulavit Galatheas, Nymphas, Tritones, Phorcum, Nereum et Proteum, et quotquot Dii Divaeque secant spumantem pectore pontum; denique insignem tabulam qua praeliantes Centauros referebat. Sed amorem Italiae impos deponere Florentiam inivit, ab anno 1874 ad 1885, septem exinde sequentes annos Tiguri moratus, anno 1892 iterum Florentiam regressus, ibique ad mortem usque proprio in rure degens obivit.

At quae hic praesto erant opus et magisterium eius in laeta adegerant, et quaeque pinxit, omnia amoenitatem caeli solique redolent; hic silvae, rivuli, puellae redimitae floribus, *Venus Genitrix, Nox, Bellum* et supremum opus nondum absolutum, interceptante morte, *Pestis*, in operibus eius optimis adnumerantur, quae, tandem aliquando quiete opibusque merito partis et gloria coronatis, eximii pictoris animus, siqua hic felicitas sit, felicitate compleverunt. At non immemor viae universae carnis tabulam pinxerat, in qua semetipsum expresserat iam ab anno 1872, sibi adstantem et adsibilantem auribus Mortem, quasi moneret ne mortalibus haereret nimium brevi a terra abiturus, ac proinde, si quid faciendum superesset, mature completeret, ne mors festina praecideret.

Quae quidem, siqua tanti viri mortalia erant, ademit, nomen tamen et opera et laudes illius non abripiet, habitura gloriam celebritatemque apud posteris sempiternam.

G. P.

QUAESTIONES INTER SOCIOS PROPOSITAE

De una eademque apud omnes pronuntiatione latina (1).

Hiacyntho De Vecchi Pieralice, viro clarissimo, Augustus Sordet S. P. D.

QUAS ad me in hoc commentario scripsisti literas, eas summa animi attentione pervolvi, in iisque, non modo eruditionem sum demiratus, verum etiam non minorem suadendi vim et eloquentiam. Ad laudes quod attinet, quibus me, pro tua humanitate, prosecutus es, nihil habeo quod reponam nisi forte illud M. Tullii ad Catonem: « Ea profecto iucunda laus quae ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt ».

Sed in tua epistola apud me subiisti offensionculam. Retuleram equidem quaedam praestanti auctoritate viri dicta, non veras difficultates obiectas, quae impedirent quominus optata vigeat in eloquendo concordia, sed, ut ita dicam, quaestiones aliquas minoris momenti proponens, idque dubitando potiusquam argumenta proferendo. Iamvero tanto ipsum impetu lacessisti, ut ferme putaverim te existimasse illum trans giganteum quoddam vallum constitisse. Plane vir ille nobiscum consentit, ita ut si penes ipsum hoc foret, dicto citius romanam pronuntiationem ubique terrarum stabiliret. Nae, pro certo habeas illum meque « ingentem ex auro romano molem » nequaquam parvipendere « etsi libram cuprii aeris invenerimus auro nihilosecius immixto flavescens ». O lepidum dictum! Utinam huiusmodi aurum omnes pervadat regiones! Id tantum petimus, ut si nobis datum fuerit auro vestro uti, non aegre feratis si cuprum illud non Florentiae, Mediolani, Neapoli comparemus, verum Burdigalae, Parisiis, Lug-

(1) Cfr. an. II, n. XXII; an. III, nn. II, IV, V, VI, VII, IX, X, XI, XIII, XIX.

duni. Indulgentia videlicet, ne de laude loquar, iam nos haud indignos reputes velim, si accentu latino rite servato, suo quibusvis literis et consonantibus sono attributo, ratione paulum diversa *c*, aut *g*, aut *h*, pronuntiaverimus, quando vel ipsi Itali non ita perfecte consentiunt. Verum, ne longior faciat scriptio fastidium, ad ea quae promiseram accedo.

Agedum! cum tot ac tanta sint argumenta quibus evincitur unam eademque eloquendi rationem esse introducendam, quid tandem agendum sit ut iam manum operi admoveamus iuvat inquirere. Optandum sane foret ut omnes quibus litterarum latinarum cura incumbit, id assumant praestare collatis viribus. At vero, ut aperte dicam quod sentio, vix ac ne vix quidem extra viros ecclesiasticos reperias apud nos aliquem, qui possit aut velit huic universa in dicendo concordia adlaborare. Adsunt proculdubio magistri insignes ad laudem, probitate et doctrina cumprimis illustres, qui in publicis gymnasiis, in athenaeis literis latinis instaurandis non spernendam conferunt operam. Illi autem, non ea qua par est libertate donantur. Obstant studiorum indices, quibus exhibetur amplissima rerum edocendarum materies silvae vastissima; obstant laureae adipiscendae imposita iuvenibus ratio et obligatio; obstant plurimorum patrum familiae preces, qui in id unum non mediocres sumptus impendunt ut filii, academicis gradibus decorati, tandem e studiis ad honestam vitae conditionem evehi possint. His ultimis temporibus, de « scientifica » puerorum institutione actum fuit apud delegatos quosdam ex publico nostro Deputatorum coetu delectos. Quantas audivimus querelas! quanta lamenta! quot acerbissima in adolescentium institutorum rationem iudicia! Pluribus hanc unam vocem inesse putasses:

*Intereunt segetes, subit aspera silva,
Lappaque, tribulique interque nilentia culta,
Infelix lolium et steriles dominantur avenae!*

Rerum physicarum notiones, doctrinae mathematicae, de quibus tantopere nostra haec aetas superbire videtur, quaeque si omnibus prosint non tamen ab omnibus, ut litterae, existimantur prodesse rectae puerorum informationi, humanitatum spatia paulatim invadunt, moxque, ni falce premes, heu!, antiqua suffocabunt studia. Hinc exiguum istis addiscendis tempus impensum; hinc, si paucos excipias, tot reperire est alumnos, quos taedet Tullii, Vergilii, Flacci commercii; hinc denique in publicis scholis latinae linguae discrimen illatum.

Longe alia litterarum latinarum fortuna est si ad sacros Ministros animum conferamus eoque magis post Pontificias litteras ad Galliarum Antistites missas, quas suo tempore *Vox Urbis* fusius retulit.

Nemini enim dubium esse debet quominus ubique cum seminariorum magistri, tum eorumdem alumni incubuerint ut latino sermoni, si non primae, primis tamen aequales in studiis partes tribuerentur. Ecce, quaeso, dum instaurantur litterae latinae non instaretur simul romanus dicendi modus? Obstant usus omniumque consuetudo? At vero tritum est illud: consuetudinem consuetudine vinci, tollique usum usu; ceterum si usus quidam, licet per saecula invaluerit, a recta ratione videatur abhorre, non est cur in ipsa eiusdem amissione lugeamus. Annon possint sacrorum Antistites, qui tantopere de optimis studiis curant, praecipere ut seminariorum alumni, dum philosophiae, theologiae, divinis cantibus operam tribuunt, non alio eloquendi modo utantur quam quo utitur Romana illa Ecclesia a qua velut ex capite in membra vita diffunditur? Iuvenes isti, cum

DE STATURA HOMINIS

*Terra malos homines nunc educat atque pusillos,
Nam genus hoc vivo iam decresebat Homero.*

IUVEN.

peractis studiis ad pastorali munere fungendum exiverint, novae pronuntiationi, sensim, sine strepitu, Christi fideles possunt assuefacere et, minori quam quod quidam reformidant negotio, concordia ubique vigeat. Ita, quos iungit una fides, consociat unum baptisma, congregat unum ovile, regit unus pastor, « unius quoque labii et sermonum eorumdem » conformabunt populum.

Rem non fictis quibusdam commentis, sed recenti experientia comprobata loquor. Nemo est in Gallia qui non noverit Sodales a Sancto Benedicto nuncupatos; hi enim, apud omnes, summum decus sapientissimis eruditissimisque operibus consecuti sunt; iam vero, isti, omnium primi, officium divinum persolvendi romano ritu consuetudinem intulerunt. Hos secutae sunt Moniales a Sancta Caecilia, moxque quaedam religiosorum virorum familiae. Quid tunc postea? Obstupuere populi? Minime, sed pulcritudine suavitateque huius pronuntiationis allecti, eorum sacras aedes frequentarunt, et non obstante universa consuetudine, sacerdoti divina mysteria celebranti sacraque peragenti, haud secus ac populares tui, more apud vos vigente, cantando respondent. Hinc, mirus apud eos sacrorum rituum splendor, mirus populi concursus, mira in his audiendis delectatio; res eo devenit ut ii qui in Occidentali Gallia invivendi causa versantur, nihil se vidisse et audisse arbitrentur nisi Solesmis aut Ligugiaci, aut quocumque degunt, Benedictinos, ut aiunt, audierint.

Per calcata a Sancti Benedicti monachis semitam, incessit celeberrima illa: « Schola Cantorum » non apud Parisios modo, verum etiam apud omnes, quae sacris concentibus plurimum delectantur notissima. Haec Schola, quae eruditissimis probatissimisque in arte musica viris gloriatur, apprimè novit se non posse aliquam duraturam laudem sibi acquirere nisi romana pronuntiatione uteretur. Nemini iniucundus aut invisus fuit ab ea novus dicendi modus illatus; contra, si quis noverit in sacra aliqua aede « Scholam Cantorum » esse adfuturam, illuc se agat celeri concitatoque gressu.

Iamvero, exstant in Gallia plura collegia, quae vulgo *maîtrises* dicimus, in quibus delecti pueri divino cultui inserviendi gratia humanitatibus imbuuntur. Quid, quaeso, impedire potest, quominus ii saltem quos maxime decet sacras laudes cantibus extollere, Scholae Cantorum insistant vestigiis? Condecorantur profecto iisdem praemiis, nec forte temerarius asseram fore ut aliquando huiusmodi agendi ratio ad omnes qui apud nos latine dicunt, saluberrima quadam contagione extendatur.

Postremo, cum in hac re maximi sit ponderis vulgaris opinio, vehementer optandum est ut ephemeridum scriptores, iis omnibus opem ferant tentamentis, quae ad concordiam in latine dicendo conducunt. Illi, certo certius, plurimum in hoc genere rerum valent, nec eorum parva laus erit si hanc consensionem suadendo, commendando, exhortando, quibus demumcumque modis potuerint, pro viribus procuraverint.

Ultra quam constitueram dicendo progressus sum; quapropter finem hic facio, ne te diutius morer. Fac plane ut valeas.

Nomen amicitiae barbara corda movet.

OVID. *Pont.* lib. 3.

In vita tanquam in theatro tamdiu vivendum est quamdiu rerum et operum huius vitae futurum fuerit spectaculum.

PLAT. apud STOB.

SAEPTE de re disputatum est, nec defuere viri, qui contra autumarent, prouti non defuere qui tuerentur. Sed utriusque, in extrema at diversa abeuntes, nunquam et in eundem convenire locum, et in unum consentire potuerunt. Utrisque tamen et modus erat, quo consentirent; neutris autem, quod caput rei est, apparebat. Nos, brevitate qua maiori uti possumus, et conficiemus, et, quod maximum est, indagine persequemur.

Ponimus quippe primo extra dubium esse, apud omnes exstitisse antiquitus homines, qui fuerunt « gigantes nominati illi, viri potentes a saeculo, viri famosi, statura magna et scientes bellum ». Plures ad confirmandum usi sunt mythologiae traditionibus, et Libris sacris, et verbis, quae plerumque apud Homerum poetasque ceteros abundant. Nos, quamvis ea nota sint, quae Caleb et Iosue, bellatores et animosi, de Cananaeis retulere, ad quos missi speculatores fuerant, scilicet se Cananaeis comparatos apparere sibi instar locustarum, rem aliunde suscipimus non modo demonstrabilem sed demonstratam; nam et in monumentis aeneis et lapideis, quae exstant adhuc, et in literis ostenditur.

Illud autem est primum quod mensura suprema, cuius ad normam veteres aedificia, campos et cetera dimetiabantur, in homine, et homo tantum erat, qui proinde, uti talis esset, nec maximus, nec minimus inter genus omne eligi debebat, sed medius quidam, qui ab utrisque extremis, quasi a gemino vitio, distaret.

Iamque lectores nostri quae scripturi sumus praeverunt, qui norint antiquas mensuras penes singulos populos ad haec reduci ut digito, palmo, pede, cubito, ulna seu brachio, passu, denique communi verbo, quod *canna* exprimebatur, omnia quae mensurae obnoxia essent comprehendebantur. Haec autem omnia nomina, aut amens sumi, de homine quaeruntur, ad hominem pertinent, hominem unice attingunt; *canna* denique nil aliud est Cananaeo sermone praeter *homo stans*. Quum igitur notum sit quid, si ad hodiernam metri vim referatur, mensurae huiusmodi praefertant, quum pateant et supersint monumenta, aedificia dico, quae ad normam antiquorum certis mensuris confecta sint, ea lege qua pictores et sculptores vel in statuis dolandis, vel in hominibus pingendis utuntur, cui a *proportione* nomen, non minus in oculis quam in intellectu est quantum homo fuerit, cum ille mensurae modus inventus est. Cubitus autem, qui *amana*, seu « mensura mater » appellabatur, cum duplex habeatur, alter *sacer*, hoc est sanctuarii proprius, alter *civilis*, in iis quae ad Hebraeos pertinent, nos admonet ineluctabiliter de statura hominibus communi tempore Moysis, ac tempore captivitatis. Sacer autem cubitus fertur ad circa metr. 0,80; civilis ad 0,54. Hinc, quoniam quarta pars humanae staturae cubitus sit, in manibus est quid antiquiores homines statura, quid recentiores proferrent. Scimus insuper tempore Homeri nullos fuisse equites. Aperte dicam impares ferendis hominibus equos tunc fuisse. Quinimo ex loriceis et galeis, quas ipse vetustissimas et aeneas manu versavi, reperiisse me mediam staturam hominum inter metra duo et quartam metri partem plerumque. Quod quidem confirmat *canna* quae *architectonica* dicitur: haec enim duobus metris et quarta metri parte protrahitur. Hinc autem miliarium, hoc est spatium mille passuum, non mille metra, sed mille et quingenta ac quindecim metra apud Romanos, qui statura mediocres erant, conficiebat; apud Normannos (in Appulis et Campanis), qui proceriores eminebant, mille octingenta et triginta metra aequabat: quod firmat passus sequi proportionem staturae.

At undenam hodierna imminutio? Pluribus quidem ac diversis de causis, quae tamen in damna nostra mirabili consensu coniurant. Prima quidem habetur in morbis, quos novos omne aevum tulit, debilitantes, et labefactantes humanum genus. Rem indico medicis patentem satis et gravem.

Altera vero causa statuitur in vitiis, quae in ipso ado-

lescentiae limine corpora frangunt, detrahuntque vigorem et vim sanguini, nervis robur atque virtutem; propterea quod in ipsa iuventute senescunt.

Ecce qua de causa aetas parentum, peior avita, hodiernas gentes dederit, mox progeniem debiliorem daturas.

Tertia vero causa in defectu cibi est. Neque mihi succendatis. Non enim is sum qui adstruam his temporibus, quae nunc sunt, ieiunos ire pueros, languentes fame iuvenes, confectos macie viros; at hoc unum dico, esse hos cibi utique vini que plenos, sed noster panis caret adipe, sed vinum nostrum plerumque est omne quodlibet praeter uvae filius; quinimo materie interdum pestifera et virulenta panis vinumque constant, viscera farciunt, at sanguinem minime nutriunt, et, si nutriant, ingerunt in venas quod extenuat, quod exanimat, non quod reficit, recreat et excitat. Ipse haud negabo Suevos statura proceros iisdem vesci, quibus Lapones breves vescuntur; at nemo inficias ibit, in civitatibus plerumque, arte fieri ut filii exiguo corpore sint, quos aut choreis theatralibus, aut equestribus ludis patres destinant, itemque puellae; contra vero metellos et baiulos, qui pro lubito ad satietatem edunt, qui exercitio membra firmant quotidiano ab unguiculis, et statura crescere, et viribus vigere solidissimis.

Hinc illud esse debet (medicus doctor Springer ait) apud eos, qui civitatibus praesunt, ut maxima cura habeatur ne quid, quod a cerealibus non sit, in panem inducatur; ne quid, quod ex Baccho non sit, misceatur cum vino, aut pro vino vendatur; apud parentes autem illud etiam ne filiis ova, lac, iuscula, carnes tantummodo edenda praebantur; immo haec fere arceantur omnia, et cerealia tantummodo ac vina tradantur. Proculdubio restaurabitur statura degentium in oppidis, quibus interdum non modo panis, qui panis vere sit, deest, et vinum quod ex uva sit; sed saepissime et aer, qui totius vitae nocturnum et diurnum alimentum, et continens est. Haec in primis; reliqua vero, quae innuimus, nec lex, nec suasio civilis, sed una potest Religio cohibere, ut finis cladibus aliquando sit, nec ultra, in perniciem generis, terribi morbi, turpissimis nati vitiis, baccentur.

M. LANI.

COMMUNIA VITAE

Per aequam glaciem abeundi ratio (1).

At homini tacenti tunc Forfex: — Ego nunc explicabo quid veniat sub Ablativi nomine in iocosis amici verbis. Audi. Dum super lacustribus aquis frigore obduratis quamplurimi utriusque sexus adolescentes et iuvenes rotatis calcis dilabuntur, et aemulantes ut adversa ripa quam citissime potirentur, cum circa medium lacum essent, aquis non altius obduratis, repente gelu dehiscente, miserabiliter omnes in profundum ruentes periire; nulla enim potuit esse vis, nulla fortuna quae, etsi nantes, iuaret; nam superstratum gelu aerem prohibebat. Hi ergo ablati sunt e numero viventium, nec quidquam superfuit ex iis, quod obvenit plerumque nominibus, quibus ablativus haereat; haec enim praesertim si quis motus e loco est, nescio quodam infortunio, statim penitus e societate verborum expelluntur; tu autem qui e vinea decedis, qui venis e vinea, qui domo prodis, loca quae indicas relinquis ubi sunt, ut non amplius in orationem redire possint. — Bene — addidi ipse — o Forfex, et non sine quadam elegantia explicasti; at unum ego queror quod tu dixeris me iocatum fuisse in re tam gravi, et lamentabili. Sed querimoniis et recriminationibus satis esto; Oliphantium compello, ut aperte quid a nobis poscat fateatur; nam invitavit nos ad delabendum super lubricum gelu, itemque ad spectandum eos, qui delabuntur. Ego, si polliceatur nihil adversi nobis inde futurum, nihil triste nostros ante oculos obversaturum, ego veniam una cum illo, una vobiscum, et in malam pestem abeat tussis, pituita, gutturis dolor, et si febris sit, ante omnia ipsa febris. Sin autem haec omnia, mulcta capitis constituta, minime nobis praestiterit, ipse damnus esto.

(1) Cfr num. sup.

Tum Aroldus: — Tunc ipse nobiscum et comes et compar, et consors?

Atque ego: — Non modo comes et compar et consors, sed etiam collega in omnibus. At quia nudus et inermis in bella, nisi amens sit, nemo procedet, itaque ego rogo ut omnia, quae ad rem gerendam necessaria erunt, et indicetis, et pretium dicatis, et me demorante domi, pro me comparetis.

Oliphantius tunc inquit: — Nihil emendum in Urbe; omnia praesto sunt apud ripas gelidi lacus, in lignea officina ad opus exstructa; singula vero gratis dantur petenti, quem nostra societas advocaverit; huiusmodi autem vos omnes renuntio principes.

— Ergo — respondi — quoniam principes sumus principibus obtempera et morem gere. Quibusnam nos administriculis instrues?

Tum Oliphantius: — In primis, idque vestrum est, ut bene induti lanceis vestibus veniatis; vestes autem non pallii modo confectae sint, non superabundantes, sed quae membris, quo fieri magis possit, adhaereant, ut libertas una facientibus calorque sient, sitque etiam in vestibus quod, si quis ceciderit, habeat, quasi interpositum pulvillum, ut extenuetur ictus concidentis in glaciem. Ubi venietis autem, calceamentis vestris alligabuntur insuper sandalia munita rotulis, quae sandalia triplex genus habent. Nam sunt quae unam tantum rotulam gerunt pro pollice pedis, et haec potior ac digna scitissimis; nam facilius quaquaversus via, nec tantum in rectum, sed in circuli et ellipsis modum; unum autem ut quisque ita se libret, ut nec ante, nec retro, nec dextrorsum, nec sinistrorsum pendeat, sed totus sit in recto super rotulam semper abeuntem, et nunquam quiescentem nec usquam, ac tantummodo a recto deflectat quantum satis sit ad cogendam corporis pondere rotam ut in oppositum procedat, aut deviet. — In hisce conticuit.

— Cede nunc — hortatus sum — alterum sandaliorum genus.

(Ad proximum numerum).

H. DE VECCHI PIERALICE.

ANNALES

Praelia ad Philippinas - Transvaalianum bellum - Ibericae seditiones - Macedonum tumultus - Mauritaniae advelitationes - Sinenses res.

HAUD exiguo temporis intervallo miramur omnes de bello, quod ad Philippinas insulas geritur, nobis adferri nuncios. Qui autem proximi advenere, pacis componendae propositas incolis leges nemini acceptas evasisse dixerunt, quare et illud quoque bellum non aliter quam Transvaalianum perquam diutissime produci inter vanas advelitationes et incursationes; hostesque patriae suae tuendae tenacissimos totque per insulas dissitos nulla virtute aut multitudine posse debellari.

In ultima Africae colonia omnes paene provinciae militaribus ducibus regendae commissae sunt. Bellum enim fines ipsos Anglorum transegit; dumque Kitchener dux Praetoriam urbem tueri armis nititur atque copias usque ad Delagoa fines circumstatuit, Boeri post eius terga regionem vastant. Knox immo dux sociique eius quadripertito agmine Dewet, Boerorum imperatorem, insequentes ut tandem captivum ducerent vacuis manibus iterum ab incursione redierunt. Ceterum advelitationes et praelia ubique per rerumpublicarum fines renovantur quotidiana clade.

Gravissimae his diebus innotuerunt Ibericae seditiones ob impium plerumque sectariorum odium commotae, in christianum nomen excitatum.

Qui quidem arrepta nuptiarum occasione, quas Asturiarum regalis virgo cum Carolo e Borbonico genere principe inuit, non modo advenientem sponsum iniuriis ignobilibus laccessire ausi sunt, sed et per Iberiam omnem in religiosas familias ac domus plebecula in seditionem surrexit. Valentina, Barcinonensis, Granatina civitas, praeter Madritensem populum, huiusmodi criminum visu horrerunt, quae militum armis compescere hic illic oportuit. Rediit vero nunc quies, quam speramus fore ut diu permaneat.

Ex Macedoniae et Bulgariae finibus novarum seditionum heu! maturantur dies, Bulgarorum praecipue, uti apparet, opera, qui Macedones, ut in Turcas insurgant, armis et pecunia iuvant: verumtamen non Austrorum tantum legatus, sed et Russorum Bulgaros monuerunt iterum, ut ab incepto recederent; Turcarum autem imperator novas legiones ad Salonicum misit, quae data occasione tumultuantes ferro et igni coercerent.

Similia comparare videntur Mauritani, quorum agmen, Berabas ex tribu profectum, Gallos Tafilet, oasis prope fines, adortum est. Galli hostes multitudine repulerunt; sed interea ab ipso Mauritaniae rege traditum Germanis locum circa mare ad carbonis acervum suis navibus constituendum fama est, quod vicissim rependit Wilhelmus selectam tribunorum manum mittens, qui Mauritanos milites bellica arte optime erudiant.

Sinensia de die in diem semper differuntur negotia: si Russorum excipias, qui iam de Mancuria provincia peculiare foedus cum Sinensibus magistratibus statuisset dicuntur idque sibi perquam utilissimum. Iaponenses primi ceterique deinde legati suas ad rem protestationes ultro edidere, iamque Waldersee dux nova instruere agmina minatus est, quibus concito cursu Sin-ngan-fu urbem attingeret imperialemque familiam captivam faceret. His visis ab oppositione sua Sinenses recesserunt, sed tamen Pechinum urbem tenere, immo fortiter munire prudens consilium militibus nostris visum est, quorum vero nemini sentire datum quaenam futuris diebus parentur.

POPPLICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

IN Americana Nordica foederata republica MacKinley praeses, atque Roosevelt, alter a praeside adlectus, solemniter coram utroque coetu renunciati sunt.

In Anglia Eduardus VII rex novam comitiorum sessionem augurali sermone aperit, post quae responsio regi afferenda examinata a patribus fuit. Senatores nonnulli catholicam religionem profitentes suam protestationem edidere ob iusiurandum a rege pronunciatum de lege servanda quam *no Popery bill* vocant.

Balfour, qui thesauro praees, de Transvaaliano bello a multis rogatus plane respondit Anglos a bello non recessuros, usque ad Boerorum deditorem.

In Austria coram populi oratoribus summa expensarum quae incepto mox anno erogabuntur approbata est: deinde ad assuetas contentiones ob sermones, quibus liceat in aula comitiorum uti, inter Germanos et Bohemos reditum est.

In Bulgaria administratorum collegium, cui Petrovich praecerat, sese munere abdicavit.

In Gallia summam expensarum volventis anni approbatur: senatores legem de portibus ad navale bellum mu-

niendis ratam habuere: Berthelot, populi orator, de Tunisia colonia questus est, quod Itolorum peregrinorum numerus nimis ibi auctus sit: rei gerendae arbitrium, comitiorum suffragio, ministro relicto.

In Germania de expensis pro Sinensi bello disceptatio habita: Bebel, socialistarum oratori, Opseler, qui bellicis rebus praees, respondit causam Waldersee ducis defendens, cuius regimine factum sit, ut et in Sinensibus provinciis novus ordo constitueretur: proposita itaque pecuniae erogatio tandem approbata est.

In Hungaria Kossuth, populi orator, de regione circa Tien-tsin fines ab Austris occupata administratos interrogavit: Rakosky rogationem exhibuit de cruce in athenaei Hungarorum aulis iterum exponenda, quam tamen summus studiorum curator Wlassies repulit.

In Italia novi ministri renunciati Iosephus Zanardelli ut collegio praesit, Giolitti ut civitatis res, Prinetti ut externa negotia regant, Ponza di San Martino et Morin, ille ut terrestres, hic ut navales copias curet. Thesauro et aerario Di Broglio et Wollemborg praefecti, iustitiae reddendae Cocco-Ortu, studiis moderandis Nasi, laboribus publicis, agrorum cultui, epistolarum commercio Giusso, Picardi, Galimberti vicissim praepositi.

In Serbia novi ministri vocati Ivanovitch moderante.

In Uruguay republica Iohannes Carlos senatorum praeses renunciatus: deinde auguralis praesidis oratio coram utroque coetu habita.

SCRIBA.

AENIGMATA

I.

(Consonae permulatio).

Rurbs Tusca fui, Romae quae sacra recepi.
Dcomitor rixas saevaue bella sequor.

II.

Aspera praelia, silvas, laetaque munera terrae
Iam cecini vates, clarum sum nomen adeptus.
Syllaba sed prior ultima, verso ordine, sistat:
En urbs qua licuit dulcem mihi ducere vitam.

I. CASTELLI.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus sortitus gratis accipiet opus, cui titulus:

LUIGI VIGNA

SANT'ANSELMO FILOSOFO

Aenigmata a. IV, n. I proposita his respondent:

1) **Mus - Sus - Pus - Tus - Ius.** 2) **Cos - meta.**

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; Columb. Brunner, Fr. Nav. Reuss, Roma - Guil. Schenz, *Ratisbona* - Fr. Sallarès Sch. Piar., *Sabadello* - Abr. Morchio *Genua* - F. Altobelli S. I., *Neapoli* - Car. Stegmüller, *Sabaria* - M. D. Le Provost, *Briocem* - P. Garrone, *Pezzano ad Vercellas* - Ios. Ant. Schneider, *Monachio* - Ad. Huza, *Grybovia* - Vict. Vila Sch. Piar., *Stella in Hispania* - Ioan. Cantono Ceva marchio, *Vercellis* - Ios. Reiner, *S. Francisco* - Elis. Dardu, *Xerelio Sidonio* - Ed. Burg, *Argentorato* - G. Budu, *Braila in Romania* - Mich. Vidal, *Palma, in insula Maiorica* - P. G. Z., *Modoetia* - Societas Philologica Mediolanensis - Ios. Walter, *Neo Eboraco* - Iul. Sernatinger, *Dresda* - N. Tarral; G. Langenberg; G. Maurer; I. Brill, *Monasterio Guestph.* - Ver. Cariolato, *Vicentia* - I. Ortega, *S. Fide in Argentina rep.*

Sortitus est praemium

EDUARDUS BURG,

ad quem missum est opus, cui titulus:

LA CHINE
par POURIAS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

PER ORBEM

HAUD uni mihi, sed et omnibus qui una cademque sorte compulsi terrarum orbem peragere cogimur, sacrum hactenus nomen *Niña* fuit, alterius ex tribus navibus notissimae, quae Columbum eiusque nautas ad Americana litora advexit. At tantae invida gloriae, sub elapsi saeculi occasum, navicula altera se aemulam extulit eodem quo et illa nomine praeditam. Extulit quidem; iamque per omnium ora fertur eius fama, atque nautae audacissimi Adulphi Freitch, qui nullo homine comitante, fragilissimam conscensus ratem Atlanticum Oceanum ex America ad Angliam usque persulcare ausus est.

Inceptum hoc plerisque ignotum anglicus recens liber evulgavit, cuius in paginis ego quoque tantam gloriam cognovi. *Niña* illa anno 1894 ex urbe Neo-Eboraco profecta, Queenstown, Hyberniae portum, tenuit, facinore immani uno vix mense expleto. Equis vero Odysseam nautae unius, medio in Oceano vagantis, referat, machina nulla vapore aut electrice acta munitus, sed tantum ventorum arbitrio datus? Hostes adversasque vires dinumerare satis sit, quas ille, fractus nunquam, constanti animo superavit. Aqua in primis recensenda, quam per foramina et hiatus scapham invadentem diuturno labore expellere oportebat; ventus deinde, cui ut obsisteret sese navicularius malo, ne abriperetur, pluries adligavit; ultima, nec ferme leviores, hominum blanditiae, qui cum in navi *Menantis* viatori misero occurrissent, uti secum conscenderet sollicitarunt: ille vero commotus nunquam ter quaterque negavit, susceptumque iter perficere omnino voluit.

— At — quaeram cum poeta nostro Manzonio — verane gloria fuit?... Lectoribus ferenda sententia.

Quos itaque una mecum rapiens nigris atramento lineolis, rursus deducam celeriter ad Argentina Americana litora, ut audiant qui ibi pervagantur rumores de pestis lue in Sancti Nicolai regione emergente. Cuius et diras pariter minas metuunt etiam, ut persaepe fit, Constantinopolitani, quorum in portum *Apollo* navis, infausto omine appulsa, virginem atra tabe correptam moxque morituram adduxit. Klazmene, ubi ad Smirnesia moenia nosocomium ad rem manet exstructum, navis deinde petiit, periculumque iuvat brevi fore ut amoveatur omnino. Est autem misera tellus, quam longe gravius flagellum hoc belligeminum arripuit, Anglica colonia ad Africae frontem; ignotum adhuc, num sordes et immunditia Castrorum, quos ad Capetown moenia bellicus timor compulit, an potius ingens murium multitudo causa mali fuerit, qui in graminum acervis versantes peste moriuntur.

Desertiones, ne Ibericas commemorem, quae publicas res propius attingere visae sunt, in metallorum opificiis ad Chalons-sur-Saone urbem Gallicam, usque ad praelia flagrarunt: quas et pariter Buda in urbe vidisse miserum fuit. Atrocissimum autem infortunium coeca paravit fortuna effossoribus sexcentis, qui Baku, in Russorum oppido, ad petrolei fontes adlaborabant. Incensi enim ignota flamma puteoli ignito liquido redundantes usque ad promptuarias cellas immanes, quas Sodalitas ab Euxino Ponto et a Caspio mari dicta condiderat, ignis pervenit. Qui fragor inde, quae ruinae, quae incendia, quae clades excitatae vix temporis momento fuerint

referet nemo. Casae opificum omnes flammis brevi voratae, victimae miserrime adustae ad quingentas usque: tandem militaria auxilia supervenere, quae vero candentes domuum reliquias, adustos cadaverum cineres reperierunt.

Contristatos lectorum animos genialia fasta erigant. Regales ibericae aut batavicae nuptiae non hic memorandae; sed quae Deschanel potius, Gallicus concilii popularis praeses, in Sancti Germani *ad prata*, Lutetensi templo celeberrimo, celebravit; et quae Utrecht in urbe Krugerii praesidis neptis cum Ricchiardio Italo centurione sponsalia iniit. Postrema haec milesiae fabulae simillima. Ricchiardius, Villebois-Mareuil Gallico tribuno succedens, peregrinis legionariis militibus in Transvaal pro Boeris pugnantibus praepositus fuit. Vulneratum in praelio, dum Praetoriae in nosocomio degit, Eloff, Krugerii neptis virgo, curat: inde amor utrumque corripit; epilogo denique Krugerius senex patria extorris benedicit.

VIATOR.

VARIA

De Sinensi « Encyclopaedia ».

Opus maximum in libraria re Sinenses dederunt, quod « Encyclopaedia Sinensis » appellatur. In Museo Britannico Londini est, ac bis mille constat voluminibus, pulcherrimis depictum notis illo indelebilia tramento ac nitido, quo Sinenses utuntur, eaque speciosissima charta, quae illis ex serico in more usuque est. Quaero; ut quid ista moles? Fuere quamplures qui, interpretationem aggressi, destiterunt non difficultate sermonis et characterum, sed potius terrore inutilitatis laboris; nemo enim tam bardus esset qui ea emerit, quae in legendo morte interciperetur.

Nullane in posterum aquarum victoria?

Ne quis submergatur, experimentis perspectum est in lacu Helvetico, cui a Tiguro appellatio, pallium quoddam ex medulla et quasi dicam adipe suberis confectum. Duo milites, armis instructi eoque pallio muniti, saltu sese coniecerunt in undas, quibus supernatarunt impotes submergi. Armis usi sunt, nempe focili, manuballistula, gladio, ac victores undarum equitavere per undas, exercitationibus militaribus ita procedentes, quasi in hostem incurrerent, quem plumbeis glandibus constantes peterent. Res mirabilis visa est, idque eo magis quia non modo arma sibi propria gerebant, sed aliquid, quo cibo potuque triduo reficerentur, insuper igneos calamos quibus indicia succedentes praebarent, sive subsidium peterent, sive hostium artes notarent.

Ioci.

Scimus aemulationem olim inter Raphaelem Urbinatem et Bonarrothium fuisse. Ille, quoties e Vaticano rediret, frequenti semper discipulorum comitatu suorum collaetantium ambiebatur; humanissimus enim plures docebat, et arte iuvabat divina, quin etiam manu illa caelesti, si quod opus faciendum iis daretur, idque ut scirent omnes ad excelsam gloriam suos discipulos perventuros.

Bonarrothius autem nullo comitante, asperri-

mus indole, procedebat, nec discipulos, nec socios habere volebat. Ecce; in ponte Aelio occurrunt. Stat Bonarrothius, et Urbinate: — Salve — ait — bona sit paedagogo dies! — Nil cunctatus contra remordens Urbinate: — Di — inquit — te servent, o Carnifex, qui solus es!... — Sic argute carpsit solitudinem hominis insociabilis, et nudarum carniū ostentationem anatomicam, quas ipse in Xystino Vaticani pingebat.

Canis, litigiosus homo, quem duellis nescio utrum dicam celebrem, vel infamen, rabie sua hac agitatus dum pergit, a Pacifico, qui sua abibat meditans negotia, forte omnino cubito tangitur. Ardet, ululat, quasi ferisset, et arripiens: — Non impunis — inquit — excedes Tibi mecum duello res erit, non longius quinque et viginti passus. — Circumstabat populus, et omnes, uti Canis, duellum manuballistula conficiendum sentiebant. At provocanti Pacifico ait: — Quoniam et duellum proposuisti et intervallum constituisti, esto; mihi armorum est optio. — Lex est — laetans Canis conclamat. — Atqui ego illo a te spatio separatus gladio pugnabo!

Pacificus abiit incolumis.

Dixit penna atramento: — Male tibi sit, quod me coeno nigro turpas! — Respondit atramentum: — Male tibi, quae me sugis e vasculo, o raptrix. — Utrisque charta: — Male ambobus esto, qui in me coniurantes utriusque me scalptis ac foedatis! — Audiens autem auctor: — Male et vobis tribus, quibus ego non dormio! — Et dormitum ivit.

Duo latrunculi sepe pertransierant, malum spoliaturi pomis conscenderant, et in opus incumbant alacriter. Fuste villicus armatus occurrit. Tunc ait latro ad latronem: — Fuge; adest herus, qui nos male mulcabit — Praeceptus ille ex arbore; manet alter in frondibus. Villicus fugientem longius persequitur. Alter magna pace commode descendit, et suam arripiens viam impunis excedit e praedio. Ubi simul cum socio fuit: — Heus, tu — inquit — gratias ago. — Eccur? — Quia nisi fugiisses, ex arbore non descendissem.

Ancilla, dominae fidissima ac deliciosissima, correpta gravi morbo est, et paene tradita morti. Domina multis cum lacrimis flebat, medicumque rogabat ut neque curis, neque impendio parceret. Medicus toto die, integra nocte ad lectulum stabat crism, quam dicunt, exspectans; domina quovis momento redibat idem rogatura, et iugiter addens: — Serva, Doctor, serva animae dimidium meae. — Medicus importunitate victus, et impos se contineri: — Et quoniam ita est — inquit — abite in malam pestem ambae.

Discedit praiceps. Ancilla convaluit, ac dominae saepe dicebat: — Nisi medicus imprecatus esset mortem, non valuissem!

Canis venaticus, quoties domum redibat, in cubile dormiturus recto pede fugiebat, neque cibum attingebat, quamvis oblatum. Mirabatur herus, et amicis narravit. Cui quidam ex iis: — Canis te sapientior est — inquit; — lasso requies, esurienti cibus. Num tu quaeris esuriens requiem, et cibum lassus?

P. d. V.

* FIDES *
quod musicum organum
STRADIVARIUS

CREMONENSIVM ARTIFEX CELEBERRIMVS

CONFECIT

Romae veneunt.

Negotium agitur apud Commentarii VOX URBIS administratorem, ROMAE, via Alessandrina, 87.

DUBIA ET RESPONSA SUPER EXTENSIONE IUBILAEI ANNI MCM ad universam Ecclesiam proposita in commodum confessariorum a THOMA ARIZOLI Missionario Apostolico Imperiali, Sacrae Poenitentiariae officiali.

Dubia huiusmodi explicant facultates quas Summus Pontifex concedit in ordine ad Iubilaeum exercendas et complectuntur praecipuos casus qui in Iubilaeo proponuntur. Responsa sacrae Poenitentiariae, *etiam recens data, quae opus fuit memorare*, memorantur. Accedunt Constitutio pontificia super extensione Iubilaei et, maxima ex parte, *Monita ex Constitutionibus Benedicti XIV de usu facultatum confessariis tributarum* excerpta.

Opusculum venit lib. 0.50 apud comm. *Vox Urbis* administratorem, Romae, via Alessandrina, 87.

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE - Via Sistina, 129 - ROMAE

LIBER (vulgo "ALBUM,")

praecipua Urbis referens, pulcritudine insignis atque, commentarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse conflatus, apud eundem commentarii administratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87, ven. lib. 1.50.

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE

COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO

Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 x 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur, venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

LE LAUDI LATINE

E

IL CANTICO DEL SOLE

DI

SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncola, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo, conscriptam, continentur *laudes latinae* cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime alii subsequenter ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandam, **Iulius Salvadori**, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit L. 0.50, in pauperum levamen.

VOX URBIS DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

SOCIIS MONITUM

In memoriam sociorum revocamus, cuique eorum, qui chartulam ad hoc acceptam remiserit suo ac duorum e sociis novis subscriptam nominibus, pro duobus tantummodo commentarii exemplaribus solvendum pretium; tertium dono datum iri.

Pretium annuae subnotationis comm. "Vox Urbis" vid. in prima operculi pagina.